



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

De vnguium accidentibus quæ visus cognoscit. [Cap. VII.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

Alia Vnguium accidentia qua visus mediate animaduertit. Cap. V. L. I.

IN quærendis causis passionum, quæ vnguibus in esse videntur, ab his quæ primo ac per se ab oculo cognoscuntur, incepimus, nam quæ visus docet ea videntur esse notiora; à notioribus autem nobis incipiendum esse supposuimus. Præter has quædam etiam alia sunt in vnguibus accidentia, quæ per colores cognoscit visus; nempe motum, quietem, continuitatem, numerum, & figuram, quæ solent, & communia vocari sensibilia, quoniam præter visum, alij etiam sensus ab his obiectis ad actum mouentur, vngues mutari, & stare dicuntur, quoniam aliquando crescunt, aliquando non, crescunt in viuentibus, & in mortuis vsq; ad certum tempus. In viuentibus crescunt, & augentur, propter continuam appositionem, quæ fit à calore naturali, cum autem aliud addatur, aliud pelli necessarium est, aliter enim rei non seruaretur forma, quæ certa materia, & magnitudine terminata continetur, in mortuis putredinalis calor in humidum agens viscidum, & capillos, & vngues auget, donec consumptus fuerit humor, & euauerit calor, propter eandem causam accidit aliquibus ruri manentibus, quod vngues, & capilli magis crescant, quam in vrbe degentibus, quoniam calor naturalis ob motum, & ambientis aeris calidiorem dispositionem robustior factus excrementa validius expellit, quodque fit rure melior, & laudabilior aer, testatur Horatius dicens.

„ *Novisti ne locum potiore rure beato?*

„ *Est ubi plus tepeant hyemes, ubi gratior aura.*

„ *Leuiat, & rabiem canis, & momenta leonis*

„ *Cum semel accepit solem furibundus acutum*

Mouentur igitur vngues, & quæ in vnguibus sunt macule, quoniam ipsi crescunt, quoniam nutriuntur, & illis illorumque principijs, fit continua appositio; Et quoniam

motus

motus auctioris non est continuus, neque vnus, sed intercipitur quietibus, necesse est ergo per aliquod temporis spatium has maculas stare; praeter enim motum caeli nullus est, qui continuus existat.

Figura magnopere vnguium variatur, & vnus digiti vnguis ab altero aliquando valde diuersa est. Alij enim recti sunt, alij distorti, sapiunt enim naturam tendinis à quo pendent, qui rectus fuerit, & minime siccatus, sed multo abundauerit humore naturali pulchrum, rectum splendidum mollé habebit vnguem, ex aduerso turpis erit vnguis, cum tendinis substantia, & alimentum fuerit turbidum, non bene coctum, & excrementis abundans frigidioribus, distortus vnguis, & in curuus apparet ob tendinis siccitatem, & propter hoc qui febre hectica laborant, ijs vngues incuruantur, quod & corio, & cartis hædinis, & corneis laminis ex nimio calore videmus accidere; In partem superiorem conuertuntur vngues ijs, quorum vltimus digiti nodus, superne inflexus est; id fieri probabile est, in his, quorum pars tendinis superior facta est breuior; Memini me vidisse quendam, cui cum vulneratus fuisset index, postquam cõualuit; extremus articulus sursum versus remansit, & vnguis etiam eodem modo superius incuruabatur; Qui vero plani sunt, & æquales, naturam sui tendinis referunt, cuius extremitates sunt; docentque ipsum tendinem magnopere esse secundum naturam, & sibi æqualem, striatos, costas, & canaliculos habentes, & vndulatos, male affectum docent esse tendinem, nam hi canaliculi, & striæ proueniunt eo quod partes tendinis superiores sicciores sunt, & ideo hæ passionis in senilibus vnguibus spectantur, raro in pueris, aut adolescentibus; idem de vndularis, & vndas imitantibus sentiendum, putandumque est has vndationes à flatibus propter debilitatem caloris naturalis in tendine procreari, & in vnguibus etiam apparere. Nodosi vocantur vngues, in quibus quaedam eminentiæ, & quasi verucae paruae apparent idque etiam causatur à tendine, qui non æqualiter sibi apponit

ponit nutrimentum, & cuius quædam partes sunt crassiores, & ficciores quædam minus; à crassioribus, cum extra ficciores fiant, nascuntur nodi, & suprædicta inæqualitas. Hæc & eius modi passiones ac diuersitates figurarum generat natura tendinis, secundum quod illa diuersimode est affecta. Cadit etiam diuersitas in potentias vnguium, per quas faciunt suas naturales operationes; si enim potenter exercent suum opus, robustos arguunt tendines & horum tendinum robore suam potentiam firmant; Quod si flacidi, & debiles fuerint digitorum tendines paucum erit indigitis robur, & munus suum male exercent vngues, qui ab his principium sumunt; Hæc omnia per visum cognoscuntur, vel saltem non sine visu; Et ab operationibus ad eorundem potentias cognoscendas peruenimus; Quæ igitur sint, quæ per oculos cognoscuntur passiones, & propter quid sint ex his patere arbitror.

Passionum secundum quantitatem, & substantiam in existentium causa. Cap. V I I I.

Cognoscit etiam visus quantitatem, siue illa sit cõtina, siue discreta, & enim hæc ex communibus sensibilibus; discretum est corpus, cuius partes dissitæ sunt, continuum, cuius consistat; & coniunctæ reperiuntur; Magni vngues secundum longitudinem, & latitudinem à magnis tendinibus nascuntur, etiam magna ossa, arguunt; quare & robustum quidem corpus, sed non admodum agile, quinimò segne & iners; ex aduerso parui vngues paruitatem demonstrant tendinum, à quibus tales causantur, sic enim ab effectu, ad causæ notionem peruenimus; longi, & stricti à debili procedunt tendine, & aliquanto magis sicco, quam oporteret; stringens enim frigus debilem, & mollem tendinem longumque facit, & strictum; latus magis quam extensus, & longus eandem habet causam nempe tendinis latitudinem, & propter hoc etiam quorum tales sunt vngues, & tendi-